

III.  
NEOVIDENSIS  
Nro. 103. (Neovidensis 1808. Nro 102.)

*Politica Mortuorum Colloquia.*

Elysium-Meum.-Die Martis. 3 Jan 1809. (Neov. 16 Dec. 1808)

Nutus Momenti.

Nubibus ex altis veniat Fortuna, necesse est,  
Deque sinu Superum. Cunctis Dominantibus haud est  
Vis tanta, atque uni — Memento. — — —

*Colloquentes Manes.*

*Georg II. & Jacobus II. Reges Angliae.*

*Georg.* Umbra! quid me contemplaris?

*Jac.* Plus causa de simplici. Paulo ante matrona singularis de te mihi memoravit historiam — nisi me omnia fallunt; *Georgius es secundus Angliæ?*

*Georg.* Dicitum puta, quid tibi cum matrona?

*Jac.* Meministine matronæ in Choreis larvatis.

*Georg.* Quam optime! Eram Anno 1746 in choreis personatis, deprehendi ibidem matronam colloquio indulgentem. Statura valebat, loquebatur acute, invitavitque me ut se Conclave refrigerantis potus gratia subducerem. Parebam petito, duo cyathi porriguntur, alterum matrona, ego alterum adprehendi.

do, illa auribus insusurrat admoto poculo  
ori: „*Prætententis Sanitati!*“ hoc mihi inopine,  
at collegi animum ajebamque: *Lubentissime!  
lubens infelicis saluti lite!*

*Jac.* Hoc ipsum erat, quod narrabat  
mihi, mirata tuam hac occasione magnani-  
mitatem; quantulum enim fuisset regi talem  
personam infelicem reddere.

*Georg.* Oportet reges Angliæ paullo plus  
indulgere — Equidem risi.

*Jac.* Hoc quidem prospere evenit! Ete-  
nim si clamorem excitasses, fortassis de te  
actum fuisset. Sane res ardua est populum  
regere partitioni adversantem, præcipue post  
tam atrocem revolutionem omnes Britannos  
succutientem; Populus censet acta fieri, itera-  
rique posse, te igitur momentum quod teme-  
ritati matronæ non obstrepueris, sed confe-  
stim decesseris, salvum fecit.

*Georg.* Post periculum ipse advertebam,  
sed continui me, altumque tacui — discessi.

*Jac.* Magna pro te domoque tua for-  
tuna fuit, patrem tuum teque in cunctis be-  
licis victoriosos, prospereque pugnasse. Etenim si  
fortuna adversata fuisset.

*Georg.* Parce interlocutioni Nobilis Um-  
bra! quis quæso in mundo superiore fuisti?

*Jac.* Quoniam tumulus omnes exæquat,  
morsque cunctas hostilitates delet, solito:  
non minus, quam tu; regem fuisse.

*Georg.* Quid audio — itane ergo Rex!

*Jac.* Rex inquam & quidem M. Britan-  
niæ Jacobus II, Stuartus.

*Georg.* Jam non miror amplius. En dextram meam Jacobe!

*Jac.* Ita dextræ dextram, amici sumus. Quid quæso est vitæ lucta? affectibus abrepti, dominandi libidine ducti, hostili irritati animo vitæ stadium stulti decurrimus & quo properamus? — Deus vocat, & — non sumus amplius.

*Georg.* Quantam vero luctam hodie patria nostra sustinendam habet?

*Jac.* Est ea mea potius, quam tua patria. Sed fas sit quærere: cui parti orbis hodie Anglia accensenda? — In ratione Politicæ & Commercii ab Europa disjuncta est; pertinet igitur ad reliquas tres, vel secundum recentiorum Geographorum imaginationem quatuor mundi partes, quibuscum nexu jungitur.

*Georg.* An Hispania & Portugallia. —

*Jac.* Desine infelices hos Status commemorare — quamdiu in iis morari licebit? —

*Georg.* Attamen Gibraltariæ?

*Jac.* Somnia! mihi quidem tale quid observatur menti — formido male & pro prærupta hac rupe.

*Georg.* Fateor ipse eandem: molimina secundum communem opinionem fieri non posse censita, a magno viro in effectum perducta esse, his & Gibraltaria adnumerari poterit — at hæc obsidio erit Trojæ.

*Jac.* Equidem quæcumque in orbe politico eveniunt mente assequi nequeo. Ad Evidentiam convictus sum: Ministrum Can-

ning clare & perspicue providisse: Hispanos legionibus Gallicis sustinendis impares futuros, nihilominus fulcit promovetque tumultus, copiasque, & quæ potest transmittit subsidia. Videtur proin aliam utilem in eo intentionem habere, an ut temporis lucrum habeat? hoc non probabile, cui enim mora usui? cum aliæ operationes Continenti immorandi suscipi nequeunt. — Quod naves in hispanicis portibus sitas novo regi, & Continentis Statibus subducendi consilium mini ter Angliæ habuerit, non est dubium, at præcipua Causa mihi videtur, politica: Colonias hispanas a metropolitano territorio separandi, devastatumque regnum novo Dynastæ linquendi. Politica terribilis amplum Statum Incolasque ejus ad barathrum Calamitatis ducens!

*Georg.* Advertendum est in hoc argumento: bellum esse; secus id genus molimina non possent excusari.

*Jac.* Bene ass quor: Angliam se tamquam Dictatoriam mediam potentiam quatuor orbis partibus intercedentem efficiendi consilium fovere: sola Communicationem eas inter vindicare nititur. — Verum si etiam Anglicano Ministro hoc succederet amplas Colonias Hispaniarum libertati afferere, utilitas ut recte Argus advertit, non foret durabilis. Experientia plus quam una docuit gentem, populum qui ceu corpus politicum independentem semet effecit, naturalem tententiam arripere, ut commerciali se nexaque exsolvat.

Quare in visu Angliæ video *momentaneam* solum *Politicam*. *Politicam* solummodo temporaneæ conservationis. Calleo quidem : regimen Anglicanum ad satisfaciendum suis publicis necessitatibus, bonumque populi genium conservandum, vectem *monopolii* e manibus dimittere non audere. At hæc violenta conditio ; quam omnes Status ceu sibi perniciosam adoriri debent, tandem laxanda est. Et ideo vere dici potest. *Politicam* solum *momentaneam* esse. Nolo hic vatem agere, sed alia argumenta lustrare. Nuper in publicis paginis lectum : Carolinae diversas publicas aliasque personas a negotiorum tractatione remotas, aliquas etiam comprehensas esse. De præsentibus publicæ paginae, omne quod extra ordinem, ambabus amplectuntur ulnis, sæpeque numero obscura, incertaque nova in medium adducunt. Jam vero res sequenti articulo illustratur :

*Carolina die 12. Dec.* Hodiernum regiminis Edictum in cæteris hæc habet : „*Nos Carolus Fridericus Dei Gratia M. Dux Badenæ, Dux Zaehringæ &c.*”

„Postquam ex intimo amore & fiducia in præsumtivum successorem nostrum in regimine M. Ducalium Ditionum vostrarum, dilectum Nepotem nostrum Archi Ducem Carolum, & ad majorem ei in publicis negotiis intelligentiam procurandam decrevissemus, quævis a nobis edenda Decreta in objectis majoris indaginis v. g. in negotio publicæ constitutionis Status, & Ordinis die 5. definiti

circa Suprema publica Dicasteria, prout &  
 Legum de 31. Aug. h. a. ærarialium lata-  
 rum, tum novissimæ onerum publicorum pra-  
 gmaticæ, tum denominationis, remotionis &  
 translationis eminentiorum officialium, ab ip-  
 so quoque subscribi curaturos, & intuitu sa-  
 lutarium hoc facto impetrandorum consiliorum  
 in salutem nostrarum ditionum quibus olim  
 præfuturus, ab eo expectamus; Eum huic ex-  
 singulari, qua in eum ferimur fiducia, memo-  
 rato mandato lubenti promotoque animo  
 morem gesturum, hac ratione animo quo Sub-  
 ditos prosequimur, lubenter tranquillitatem  
 nostro allaturum. Idcirco iubemus Collegiis  
 nostris præcipue secreto Conclavi, huic De-  
 creto sub onere responsionis se adcommo-  
 dent, curentque, ut memorato laudatoque ne-  
 poti nostro Archi Duci quævis Expeditiones  
 Decretorum cum prævia Consultatione Su-  
 premorum Collegiorum nostrorum in præci-  
 puis publicis objectis ut primum manu nostra  
 subscripserimus, æque ad notitiam & Subscri-  
 ptionem substernantur. Quæ nostra voluntas,  
 Carolinæ 26. Nov. 1808. *Carolus Fridericus*  
 vdt. *Baro a Gemmingen*, ad mandatum Regiæ  
 Serenitatis, vdt. *Bougine*."

Quod hispanica negotia concernit: Ex  
 4 diebus nullum publicum nuncium prodiit,  
 Parisienses de 11. Dec. litteræ seq continent:

Nuncii *Bajonna de 5. h. m.* qui hodierno  
 Diario inserti referunt." Continuo assevera-  
 tur: Copias nostras die 2da *Madridum* ingres-  
 sas & quidem exacta 29. Nov. acri proelio.

Castannos Dux seditiosorum Clade perfectissima adfectus est, Multi hostium cæsi, innumeri capti, Additur: hostem impedimentorum suorum rei que tormentariæ jacturam fecisse, reliquiasque Cæsorum in montibus errare, interea partem ductorum properam fugam in Anglicanis navibus quæsisse. Bellum ceu protensum magnopere censi. Copiarum transitus per hanc urbem continuantur, heri 28 legio ped. 13 & 22. loricatorum cum tormentariorum Cohorte isthuc adpulit. &c.

### B I O G R A P H I A

*Georgius II. Augustus* natus 1683 die 30. Octob. filius erat Georgii I; qui primus ex Domo Brunsvico Hannov. vigore legis Successionalis 1701. solium M. Brit. conscendit per Sexum femineum ex domo Stuart descendente. Anno 1727. die 22. Oct. rex coronatus, 33 an. maximis ferum eventibus implicatum habuit regimen. Occasione belli Successionis Austriacæ principio neutralitatis Tractatum Hannov. iniit, verum decedente Valpoleo 20000 reginæ Hungariæ auxiliares misit, quibus 16000 Hannov. 6000 Hassii se adjunxere, qui Aust. legionibus unicum Gallorum armorum progressibus obicem fecere: Ipse dein Germaniam petiit, foederatorum exercitum præiens 27. Junii 1745 Clade cruenta ad Dettingam hostes adfecit. Hispania & Gallia notabilem diversionem Anglis facturæ 1744 Præ-tendentem Carol. Stuart in Angliam expedivere, cuius Classis tempestatibus deleta. 1745 Scotiam penetravit Edinburgo occupato Regem se proclamandum curavit, verum ad Culloden victus, ægre discrimen evasit. 1748. in medio fortunarum in Belgio pax Aquisgrani

facta — sed 1755. bellum atrocius erupit, quod per foedus Borussicum omnium Germaniæ furentissimum evasit, in quo tota gallica maritima potentia adiacitas redacta, victoriæ de Gallis in Indiis orientad Sennegalem, & Insulam Gvadeloupe sunt facta Britannorum, quibus præpotentiam mari adepti, verum pacem optans 20. Oct. 1760. apoplectico ictu exspiravit. Sub ejus regimine Anglia Culmen potentiae maritimæ attigit; ejus ministri fuere *Cel. Valpote, Petham & Pittius*. Ejus nomen æternitati transcribit fundata ab eo Göttingana Universitas Georgia ideo cognominata quam 17. Sept. 1737, Musis consecrari curavit. Successit ei ex filio Ludovico Principe Valliæ nepos hodie regnans *Georgius III.*

*Jacobus II.* Rex Angliæ Scotiæ & Hybernæ Caroli I. infelicis & Henriæ Galliarum (Henrici IV. filiæ) Secundogenitus natus 14. Oct. 1633. Ducis Eboracensis Titulo insignitus. Post obitum fratris Caroli II. eodem die 16. Febr. 1685 Londini sub nomine Jacobi II. & paullo post sub nomine Jacobi VII. in Scotia proclamatus. G. Argileus & Dux Monmouthiæ ei adversabantur quidem, sed uterque victus, supplicioque affectus. Jacobus magno cum zelo rem Catholicam postliminio in Angliam revertere admissus, 1687 Edictum, quo libertatem Conscientiæ promulgabat, in favorem Catholicorum edidit. Quo exasperati Angli Wilhelmum Araus. Principem, & Vicarium Hollandiæ, generum ejus, parti adversæ addictum, evocarunt. Jacobus in Galliam fugere adactus 1689. eodem anno Hyberniam repetiit, ut se ei regno restitueret; at Clade affectus in Galliam redire coactus obiit 16. Sep. 1701. relicto ex altera Conjuge Eleonora Mutinensi Jacobo filio, Jurium, & prætensionum hærede.